

respondere tenetur<sup>a</sup>). Requisite igitur a nobis vir illustris Albertus marchio de Misne sententiam dictavit, quod non coram alio iudice, quam coram domino imperatore, a quo ipse episcopatum et ministeriales cum reliquis attinenciis teneret, deberet respondere. Hanc igitur sententiam ab omnibus, qui tunc aderant, nobilibus liberis et ministerialibus approbatam et nos approbamus et ratam haberi iubemus auctoritate domini imperatoris 5 et nostra firmiter precipientes, ne quis huic sententie contraire et predictum episcopum super huiuscemodi causa inquietare presumat, sed, si quid iuris in aliquo ministerialium suorum se habere confidat, coram domino imperatore actionibus experiatur. Data Erfordie VI. kalendas augusti anno incarnationis domini M̄ C̄ LXXXIII, indictione XII.

## 586.

10

*Landgraf Hermann bestätigt einige unter Vermittelung des Markgrafen Otto gemachte Erwerbungen des Klosters Pforta.* 1194.

*Hdschr.: Kop. Perg. Diplom. Port. fol. 26<sup>b</sup>. Bibl. der Landesschule Pforta. Phot. H. St. A.*

*Gedr.: Lepsius, Rudelsburg 75.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Hermannus dei gracia lantgravius 15 Thuringie et palatinus Saxonie. Iusticie dictat ratio, ut religiosos quoque et temporalia eorum subsidia contra improborum violentias nostro premunire ac defensare studeamus presidio. Unde notum esse volumus cunctis fidelibus tam presentibus quam futuris, quod Ermenoldus venerabilis abbas in Gozk, que abbatia tutele et dicioni ecclesie Bremensi iure foundationis subiecta est, cum voluntate Sifridi Bremensis ecclesie archiepiscopi et 20 unanimi consensu conventus predictae ecclesie de Gozk [et]<sup>a</sup>) indigentie necessitate compulsus possessiones in Gernstete eidem abbacie attinentes pro restitutione rerum ecclesie sue, que negligentia et dilapidatione antecessoris sui dampnose distracte fuerant, pro c et xxx marcis mediante illustri Ottone marchione Misnensi Portensi vendidit ecclesie. Persolvunt autem eedem possessiones singulis annis viii talenta. Sane omne ius ad- 25 vocatie super ipsa bona comes Theodericus de Werbene carnalis frater eiusdem Bremensis archiepiscopi in manus ipsius archiepiscopi resignavit, quod et idem archiepiscopus mediante iterum predicto marchione Ottone Portensi ecclesie imperpetuum contradidit. Quem etiam vendicionis contractum idem Bremensis archiepiscopus sigilli sui inpressione et ydoneorum testium subscriptione bannique sui auctoritate confirmavit. Quedam etiam 30 bona idem Portenses fratres in eadem villa acquisierunt ab Heinrico de Gernstete et eius heredibus et ab Hermanno advocato de Saleke et eius heredibus et ab Manegoldo de Rode et eius heredibus, que omnia in provinciali placito et coram nobis iudiciali sententia sunt confirmata. Ut autem hec omnia rata et imperpetuum inconvulsa permaneant, presentem paginam sigilli nostri inpressione et ydoneorum testium subscriptione roboramus, 35

585. a) tenentur.

586. a) et fehlt Dipl.